A. JEH. PR.

DISSERTATIO JURIDICA,

DE

AFFECTU MAGISTRATUS

EX L. XIX. π. de OFF. PRÆS.

QUAM

SUPREMO

NUMINE CLEMENTER ANNUENTE

JCTORUM

Amplisſ. Facultate adſentiente in illuſtri VVitteberga

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. CASPARE ZIEGLERO,

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO, ANTECESSORE PRIMARIO, ET FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO &c.

Præceptore atq; Hoſpite ſuo omni honore & obſeqvio colendo.

Publicæ Eruditorum ventilationi

In JCtorum Auditorio

Ad diem 11. Octobr. Horis Antemeridianis


ANNO M DC LXXIX.

officiosè ſubmittit

HIERONYMUS WIGAND à LAFFERT.

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS WILCKII.





I. N. D. N. I. C.

§. I.

N. Piso, ait Seneca *lib. 1. de ira*, memoria nostra, vir à multis vitiis integer; sed pravus, & cui placebat pro constantia rigor. Is cum iratus duci jussisset eum, qvi ex commeatu sine commilitone redierat, qvasi interfecisset, qvem non exhibebat, roganti tempus aliqvod ad conqvirendum, non dedit. Damnatus extra vallum ductus est, & jam cervicem porrigebat, cum subitò apparuit ille commilito, qvi occisus videbatur. Tunc centurio supplicio præpositus, condere gladium Speculatorem jubet: damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum, commilitones: conscendit tribunal furens Piso, ac jubet duci utrumq; & eum militem, qvi non occiderat, & eum qvi non perierat. Qvid hoc indignius? qvia unus innocens apparuerat, duo peribant: Piso adjecit & tertium. Nam ipsum centurionem, qvi damnatum reduxerat, duci jussit &c. Habet iracundia hoc mali non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit: clamore, & tumultu, & totius corporis jactatione, qvos destinavit, inseqvitur, adjectis convitiis, maledictisq;. Hoc non facit ratio: sed si ita opus est, silens qvietaq;, totas domos funditùs tollit, & familias Reip. pestilentes cum conjugibus ac liberis perdit, tecta ipsa diruit & solo exæqvat, & inimica libertati nomina exstirpat. Hæc non frendens, nec caput qvassans, nec qvicqvam indecorum judici faciens, cujus tùm maximè placidus esse debet, & in statu vultus, cùm magna pronunciat. Qvid opus est, inqvit Hieronymus cum velis cædere aliqvem, prius tua labra mordere? Quid si ille vidisset desilientem de tribunali proconsulem, & fasces lictori auferentem, & sua vestimenta scindentem, quia tardius scindebantur aliena? Quid opus est mensam evertere? Quid pocula affligere? Quid se in columnas impingere? Quid capillos evellere? Femur pectusq; percutere? Qvantam, iram putas, qvæ quia non tàm cito in alium

quam [illegible] erumpit, i[illegible] se revert[illegible]r? Tenetur itaq; à proxi[illegible], & rogatur, ut ipse [illegible] qvorum [illegible] faci[illegible], qvisqvis vacuus ira, m[illegible]am [illegible], pœnam [illegible] un[illegible]it. Dimittit sæpe eum cujus pecc[illegible]tum deprehendit, si pœnitentia facti spem bonam pollicetur? si intelligit non ex alto venire neqvitiam, sed summo, qvod ajunt, animo, inhærere. Dabit impunitatem nec accipientibus nocituram nec dantibus. Nonnunqvam [illegible]agna [illegible]elera leviusqvam minora compescet: si illa lapsu, non crudelitate [illegible] ista [illegible] his inest, latens & operta, & inveterata [illegible]liditas. Ide[illegible] del[illegible]ctum in [illegible] non eodem modo afficiet, si alter per negligentiam [illegible], alte[illegible] c[illegible]ravi[illegible] nocens esset. Hoc semper in omni animadversione servabit, ut sciat al[illegible]ram adhiberi, ut emendat malos, alteram, ut tollat &c. Liceat mihi [illegible] ingenio Senecæ, ne videar regulas præscribere judici, & sistere malum inveteratum, eiq; jungere Callistratum. *L. 19. ff. de O[illegible]c. Præsid.* qvi idem [illegible]alum exceratur, & ad sanitatem affectus Magistratus vocat: *Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur, unde mandatis adjicitur, ne præsides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant, nam ex conversatione æqvali contemtus dignitatis nascitur. Sed & in cognoscendo neq; excandescere adversus eos, quos malos putat: neq; precibus calamitosorum illacrymari oportet: Id enim non est constantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit, & summatim ita jus reddi debet, ut autoritatem dignitatis ingenio suo augeat,* qvi textus graphicè exponit officium jus reddentis, & qvo modo autoritatem servare qveat, evitatis pessimis affectibus, qvi privatum efficiunt.

§. II. Non mirabitur qvis JCtum Romanum adeò ad Stoicoru[illegible] Sapientiam summam accedere, qvia alia vestigia Stoicæ doctrinæ in Juri[illegible]prudentia Romanâ notamus. Laudatur Chrysippus Summæ Stoicæ sapientiæ Philosophus *L. 2. ff. d. LL.* cui opinio hæsisse dicitur ap: *Plutarch. Comm: de Stoicor: pugn: circa fin: fœtum existimat.* fœtum in utero plantæ ritu vegetari: ubi jam editus est frigescientem ex aëre indurescentemq; mutare spiritum & animal fieri; à qvâ sententia non alienum qvod in *L. 9. [illegible] ad L. Fal.:* dicitur: partum non editum hominem non fuisse dicendum, imo jure benigno nomine filiorum & filiarum posthumi & posthumæ veniunt. *Conf: §. 3. J. Qvi test: tut:* Noli tamen eosdam damnare ad Stoicam Sectam: nam & Plato amicus *L. fin. ff. de nund:* & Aristotelis amicus *L. 35. [illegible] de solut:* magis verò amica fuit veritas JCtis Ro[illegible]anis. Vid. *Habn. ad Wesenb.*

de J.

de J. & J. n.11. p.m. 16. Qvamvis nec aliorum scripta neglexerint, sicubi rectiore forte ratione utere tur. *Magnif. D. Zieglerus in Dic. Differt: pralim.* Subdubito proinde utrum Aristotelis ex sua Philosophia morali tantundem præstare valeat, qvantum ex disci plina Stoica demptis ineptiis exspectandum est. Non enim omnia Stoicorum dogmata probarunt, qvæ non rarò inhonesta. vid: *Joseph. Anton Gonsal. de Salas ad Petron. Arb. Satir. in præl.* neq; qvicqvid criminentur alii ἀυξχειρίας Stoicorum probarunt JCti Romani *L. 9. §. 7. ff. de pecul: & L. fin. ff. de bon. eor.* natura enim & naturaliter notant naturalem & purum physicum impetum *L 49. ff. de solut: Gvil. Grot. de princip: jur. nat. cap. 1. §. 5.* & *cap. 2. §. IX.* & qvia confiscatio bonorum non imminet omni in casu huic delicto, adeò non probatur Jurisprudentia Romana, ut si admittas conseqventiam, metus sit ne Caroli V. Ordinationem *crim. art. 135. ejusd.* criminis insimules. *Carpz pr. Crim. part. I, qv. 2 n. 35.* Honesta verò affectuum in Magistratu aversatio, contra qvam malitiam C. listratus amice cum Seneca conspirat.

§. III. Qvam turpitudinem vitæ optumè cognoscimus ex officio, & hoc ex incunabulis suis: qvæ delibat Hermogenianus. *L. 5. ff. de J. & J.* Ex hoc jure Gentium introducta bella, discretæ gentes, regna condita &c: Aucto enim genere humano, ac familiarum numero indies crescente homines qvotidianis casibus moniti vitam humanam si dispersi, qvisq; arbitrio suo colerent, com[illegible] non e[illegible] animadverterunt. Itaq; usu exigente & humanis necessitatibus societates civiles constitui cœpere, eas vero cum absq; ordine parentium & Imperantium stare non posse intelligerent, electi, sunt unus vel plures, qvibus curam societatis commendarunt reliqvi, illosq; simul potestate jubendi, & qvæ hanc seqvitur, refractarios cogendi instructos voluere ad societatem ita formatam Remp: dixère. Cernere hunc licet genus humanum utilitate & necessitate invitantibus, naturaliq; ratione dictitante, non tamen sine Dei T. O. M. nutu & singulari directione in Resp: coaluisse &c: *Magnif: D. Lyss: in Disc. pro Imper: contr: domin: emin:* §. 8. Qvem ordinem constituendi Magistratum Imperator *§. 11. J. de R. D.* op[illegible] e[illegible]it: civilia autem jura tunc esse cœperunt, cum & civitates condi & Magistratus creari & Leges scribi cœperunt.

§. IV. Lege verò summa in civitate potestas exponit voluntatem & format actiones in civitate existentium ad salutem communem: ut merito Papinian[illegible]s *L. 1. ff. de LL.* af[illegible], qvod Lex sit commune præceptum, virorum prudentum consultu[illegible] delictorum, qvæ spontè vel ignorantia

 con-

contrahuntur exercitio: Communis Reip: sponsio. *add. L. 2 ⁊. eod.* Elegans sententio, & cum communi Sapientia concordans. Præcepto communi Majestatem eum [illegible]. Majestas enim diff. [illegible] per totam civitatem & universis imperare potest, & ad Deum natales refert. per *L. 2. circ verb: inventum & munus Dei est.* Qvod non sine prudentia invenitur, & merito audit virorum prudentum consultum. Neq; Dii sunt qvi civitates colunt: & latius neglectis Legibus ruunt contra communem salutem inutilia terræ pondera & membra corrupta. Conf: *Bocalini Relat: ex Parnass. 16.* qvæ deposita humanitate odium incommodi, molestiarum, & amorem sui retinent, & coercendi, sunt metu pœnæ. *L. 1 §. 1. ff. de J. & J.* ne vel dolo, vel negligentia violent Remp: Ad Leges vel observandas subditi obligantur pacto subjectionis.

§. V. Summis vigiliis vero summâq; prudentiâ curet, qvi præest Reip: ut annuente DEo *§. 1. Const. de Conf: Inst:* Leges non tantum, sint sed & observentur. Neq; tamen licet ubiq; esse, sed aliorum oculis videre & curam urgendi ad media servantia Remp: Leges, aliis committere cogitur. Magna enim negotia magnis egent adjutoribus. Vellej: Inde *Guevarra in horol: princip: l. 1. c. 36.* eleganter Reip: speciem exhibet imagine unius hominis. Ubi caput omnium est Princeps, aut Optimates, aut populus, penes qvem Imperii summa est. Oculorum partes tuentur viri in Rep: boni, qvorum ductum seqvimur. Aurium munia subeunt, subditi, qvi imperata faciunt. Lingva sunt eruditione præstantes, ex qvibus Leges & disciplinas audimus. Capillos è capite pendulos repræsentant injuria affecti, qvi opem Magistratus implorant. Manus & brachia imitantur eqvites & nobiles, qvi hostem reprimunt. Pedes, qvi omnia sustinent membra, sunt agricolæ, victum omnibus ordinibus subministrantes. Ossa dura, qvæ carnem faciunt fragilem, sunt Sapientes, qvibus qvies & Reip: cura est. Cor, qvod palàm non videmus, sunt familiares intimi, qvi arcano consilio juvant. Deniq; collum, qvo capiti corpus adhæret, est amor imperantium, ex qvo dependet omnis observatio seu Ref. Nec incongruè, qvia corpus est civitas, anima autem ad qvam accedit Majestas: hæc n. sola potest principaliter velle in Rep: eiq; subsunt voluntates eorum, qvi sunt in Rep: Animæ humanæ duas tribuit Physica facultates, intellectum & voluntatem gubernatrices actiones humanas: duo itidem sunt in civitate, qvæ gubernant actiones civiles consilium & Imperium *Achil: Epstein d. l: Frid: Horn: part: Arcan: de Civ: L. 2. Cap. 7. §. 3.*

§. VI

§. VI. Hoc imperium communicat Majestas instrumentis suis & sicuti necessitas adhibendi alios accidit exercitio jurium Maj: ita & summæ Jdictioni, qvæ mandatur Magistratui, qvi in se consideratq nullam habet potestatem in cives ut pote æqvalis: æqvalis verò in æqvalem non habet potestatem: ex igitur subordinatio voluntatum & inæqvalitas, attamen potestate Superioris instructus dirigere subditorum actiones valet. Inde potestate alienâ hâc præditus duplicem respectum admittit publicū & privatum. Publica persona nominatur servans limites concessæ potestatis, nihil agit excedens, & privatus evadit. *L. 3. ff. de Off. Præsid:* deficiente sane causa, deficit effectus, & potestate limitata concessa, absolutè agens nihil agit. *Conf. pr: J. qui & ex qvibus caus:* Nihil propriu habet collatus cum Majestate, nec ad versarium habeo Julianum in *L. 5. ff. de Jdict:* ubi illi potestatem mandandi Idictionem asserit, qvi Idictionem suo jure non alieno beneficio habet. Suo jure habere est jure Magistratus habere. *L. 1. ff. de Offic: ej:* seu jure residente in sua ipsius persona non alienâ, & notatur ille, in qvo Idictio formaliter residet. *Hahn: ad Wesenb: de Offic: ej: N. 1.* & comparatur cum eo, cui â Magistratu mandata Idictio: nec principaliter data censetur. *L. 6. J. d. Jdict.*

§. VII. Igitur ad Magistratum duo reqviruntur, potestas & prudentia, illa ut sit Magistratus, hæc ut rectè exerceat ad salutem communem pro voto commilitonis. Id qvod constituit Magistratum potestas est, eaq; efficacem sistit voluntatem, ut persona illa privata publicè qvid moliri possit. Hæc potestas jure Romano constituens Magistratum dicebatur Jurisdictio. Qvod confirmat *Hahn. ad Wesenb. de Senator N. 1. Jurisdictio ait, est ipsum formale Magistratum Romanum constituens. Cujacio parat: de orig. jur. Magistratus est persona publica, qvæ Jdictioni præest.* Huic sententiæ conciliari potest Aristotelis definitio Magistratus *L. 3. Politic. c. 15. interpret. Giphan.* Magistratus est is, qvi jus habet Consilii capiendi, Jdictionis & Imperii. Loqvitur enim Aristoteles vel de Græcis Rebus pub. in qvibus alia forma Magistratus: vel impropriè accipit terminum pro qvovis Subjecto instructo potestate politica. Non vero admittenda sententia Giphanii c. l. asserentis: *Ex his tamen tribus notis ea, qvæ est de imperio verissima maximeq; propria esse videtur. Nam pleriq; omnes magistratus, qva parte sunt magistratus neq; Jdictionem, neq; consilii capiendi jus habent: etsi sæpius Jdictionem: qvæ tamen qvia sine executione est inanis: merito vis Magistratus propriè in Imperio,*

cujus

cujus multae sunt partes & officia, ut prehensio, vocatio, quaestio, animadversio, mulctatio &c. ponenda videntur: nec dicendi sunt veri magistratus, aut proprie, quorum nullum sit Imperium &c. Ubi primum non admittendum puto Magistratum potius esse cognoscendum ex Imperio quam Jdictione. Imperium enim vel intelligit merum vel mixtum: si mixtum: concedo nullam Jdictionem esse ex facto sine modica coercitione *L. 5. §. 1. ff. de Offic. ej.* sed nego consequentiam ad potissimam partem Magistratus. Jdictio est Subjectum cui inhaeret inseparabiliter mixtum Imperium propterea ut inobedientes possint metu alicujus mali ad officium suum redigi. per *L. 1. §. 1. ff. de J. & J.* Primaria potestas Magistratus consistit in jubendo: secundaria est potestas coercendo adigere ad obedientiam, nā in subsidium succedit coercitio, & firmat Jurisdictionem, cui debebant subesse propter subjectionem & conscientiam. Modestinus eleganter virtutes Legum exponit *L. 7. ff. de LL.* Legis virtus haec est imperare, vetare, permittere, punire, Magistratus exeqvitur Leges, & est viva vox juris civilis *arg. L. 8. ff. de J. & J.* Inde, habet potestatem imperandi, vetandi vi Jdictionis, puniendi & coercendi vi mixti imperii. Jurisdictionis sunt causam cognoscere, sententiam dicere, decernere, statuere. Imperii sententiam, decreta, statuta jussa exeqvi manu militari captis pignoribus aut mulcta exacta *Vin. qu. sel. l. 1. c. 3. n. 13.* Simil. *Habn ad Wesenb. de Jurisdict. n. VII.* *Quae officio:* rem declarat. mixtum Imperium non est Jurisdictio, sed qvid Jurisdictioni cohaerens, perinde ut pactum adjectum cohaerens contractui, non est ipse contractus. Aut intelligit Giphanius c. l. merum Imperium, qvia ad Imperium Magistratus refert animadversionem, qvae vox notat merum Imperium. *L. 1 § 1. ff. de Off. ei. & L. 3. ff. de Jurisdict.* & non spectat ad magistratum, ut talem in Rep. Rom. & jure proprio s. jure Magistratus. *L. 1 pr. § 1 ff. de Offic. ei.*

§. IIX. Haec potestas exercenda pro voto Superioris, cui *Aristoteles libr. 3. Polit.* [illegible] hanc prudentiae regulam, ut id consequatur: [illegible] pulcherrimo & Nobilissimo sed optimo [illegible], qui [illegible] ad [illegible] maxime sit idoneus, dari & committi solet: ita & de Magistratu sentiendum. Ad optimum vero Magistratum majorem tria exigit *L. Pol. 5. c. 9.* primum qvidem studium & amorem erga Rempb. s. statum Reip. deinde munerum & officiorum magistratus facultatem maximam: tertio virtutem & justitiam &c. *Giphan ib. & L. 3. Pol. c. 3. Dicimus igitur bonum Magistratum virum esse bonum & prudentem.*

dentem. Cui accedit. *L. 137. §. 2. ff. de V. O. ad judicem i. e. virum bonum*, qvia boni & innocentis viri officio fungi oportet. *L. 4. §. 1. ff. fam: ercisc*: Magnif: *D. Ziegler in Dic: in diss*: prælim: *§. VIII*. Virum vero bonum concinnat bellè *Seneca Ep: 115*. Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ô qvàm pulchram faciem, qvàm sanctam, qvàm ex magnifico, placidoq; fulgentem videremus? hinc Justitiâ, illine fortitudine, hinc temperantiâ prudentiâq; lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas comitasq;, & (qvis credat?) in homine rarum humanitatis bonum, splendorem illi suum affunderent. Tùm providentia, tùm elegantia, & ex ista magnaminitas eminentissima, qvantum Dii boni decoris illi, qvantum ponderis gravitatisq; adderent? qvanta, esset cum gratia autoritas? Nemo illum amabilem, qvi non simul venerabilem diceret &c: Ubi longa serie decora boni viri recensentur, qvæ afferre longum est. *Magnif: D. Ziegl: c. l. §. 8.* Jam, qvæ sint, ait, illæ virtutes, qvæ judicem decent, si singulatim exponere velim, vereor, ne & face & viatico opus habeam. Non aliena ab hac sententia *L. 19. π de Offic: præs*: ubi humanitatem judici commendat, & mansvetudinem, & ingenere, ne vincatur affectibus. Qvid vero est vincere affectus, nisi virtutibus florere: breviter ait. Magnif: D. Ziegler c. l. §. X. in f. ab omnibus affectibus vacuus, cum justus esse neqveat, qvi ab affectibus regitur. Callistrati mentem penetrabit, qvi componet verba in *L. 19.* rationem exponentia: *id enim non est constantis & recti judicis*, cum definitione Justitiæ in *L. 10. pr: ff. de J. & J.* Licet enim constans & perpetua voluntas exhibeant habitum electivum. *Conf. Vinn: ad J pr: J. de J. & J.* qvi genericam essentiam efficit virtutis, simul tamen ad Justitiam in specie respexit JCtus: qvod Serenissim: Saxo in *proœm: decis: Elect: Saxon*: confirmat, asserens propterea varietatem juris in iisdem negotiis se abrogasse, qvia justitia sit constans & perpetua. Res ipsa loqvitur: judex debet esse constans & rectus & obtinet: talia sunt prædicata, qvalia permittuntur à suo subjecto. Nempe justitiæ professorem se venditat judex, & talem qvidem, qvi in usu practico & exercitio versatur. At, justitiæ vocabulum, prout in judice esse debet, & ut justè feratur sententia, non nudum denotat actum externum, aut voluntatem suum cuiq; tribuendi, sed multò laxiorem continet ambitum, & in tantum se diffundit, in qvantum justitia, qvæ dicitur universalis.

Magnif: D. Ziegler in Dis: c. l. §. 9 Unam quidem esse omnium perfectissimam virtutem arbitrandum est hominibus, qva jura omnibus distribuit: hæc est ex causa cognominata justitia: etenim unam quamq; aliarum virtutum nisi subseqvantur hujus bona, fiet nihil horum qva competunt: itaq; nec fortitudinem, qva non est cum justitia laudabimus. &c: Nov: 69. pr:

§. IX. Hoc reqvisitum Magistratus confirmatur regula. *Inpr: J. de offic: jud: Et quidem inprimis illud observare debet judex ne aliter judicet, quàm Legibus aut constitutionibus, aut moribus proditum est.* sunt Leges præcepta de virtutibus, docente Aristotele. Illud enim, qvod dictitat recta ratio, & naturaliter notum dicitur, est generalissimum, & non sine habitu datum cuilibet accuratè pro salute societatis applicare negotiis obvenientibus, qvæ perfectio, qvia rara propter negligentiam excolendi hanc potentiam naturalem: est ex re publicâ, esse qvi possent deducere concusiones particulares habito respectu ad statum certæ societatis ejusq; salutem, & sic bonos reddant, vel moraliter vel civiliter metu pœnæ & spe præmiorum. *L. 1. §. 1. ff. de J. & J.* & Jprudentiæ præceptum generalissimum honestè vivere. *L. 10. §. 1 ff. eod.* virtuosus igitur sit s. vir bonus, qvi vicariâ Majestatis potestate gaudet, ut Leges sciat applicare, qvæ præcipiunt virtutes: ignoti enim nulla cupido, & occasio freqvens sane exercendi virtutem Magistratui objicitur, Neq; absonum esset, nomine constantis & recti judicis latere reliqvas virtutes asserere, qvibus indiget Magistratus, ut sunt fortitudo, temperantia, liberalitas, veritas &c: *Conf: Magnif: D. Ziegler. c. l. §. 10.* Mansvetudo maximè & in specie injungitur Magistratui *in L. c. 19.* qvæ solet coërcere iram, vehementissimum, si laxas frena, affectum necessarium tamen ad conservationem generis humani. Multa enim noxia & injuriosa invadunt, & vitam & bona qvæcunq; alia charissima, qvæ arcenda sunt per iram justo modo, nullumq; imperium exerceri potest sine ira Patrem in Rep: Romanâ intuere instructum jure vitæ & necis. *L. 11. ff. de lib: & posthum: L. 10. C. de patr: potest:* reqviresq; iram. Vana esset potestas domini in servos sine eod: affectu. Ingravescit necessitas iræ in perfectioribus civitatibus: Qvo major enim societas, eo major malitia, & qvo major malitia eo major ira Subsit modo rectæ ratsoni, qvæ non permittit, ut homo homini noceat, nisi boni alicujus conseqven-

seqven-

seqvendi causa. *H. Grot : de J. B. & P. libr. II. C. XX. §. IV. n. 2.* Nemo sanè prudens punit, ut Plato ait, qvia peccatum est, sed ne peccetur. Revocari enim præterita non possunt: Futura prohibentur, & qvos volet neqvitiæ malè cedentis exempla fieri, palàm occidet: non tantum ut pereant ipsi, sed ut alios pereundo deterreant. *Seneca de ira. l. 1.*

§. X. Præter Mansvetudinem ornet humanitas Magistratum, ad qvem confugere solent defensorem justitiæ & vindicem injuriarum indigentes auxilio, consilio, ut laborantium vitam, spem, & qvicqvid cordi solet esse tueatur. Ad hoc officium invitandi sunt svavi ac facili conversatione: ne metu frendentis judicis & difficillimi deterreantur, & non tantū afflicto addatur afflictio, sed præterea odium alatur inter socios cum damno maximo Reip: non decisa lite, & denegato accessu.

§. XI. JCto nostro in *L. 19. c.* magis ex re videbatur esse vitia evitanda Judici designare, qvàm virtutes exponere: nec mihi religio erit ejus ductum pro virili seqvi & transire ad vitiosos affectus, qvi Magistratum impotentem & imprudentem sistunt Qvod ex Stoica Secta hausisse videtur, qvæ à contrario procedebat, & ut summa tolleret vitia, ne qvidem minima admittebat, & nec affectus qvidem minimos permittebat. *Magn : D. Ziegl: c. l. §. 23.* Penitiùs cognoscimus rem ex intentione agentium, qvæ optimè apparet ex statu naturæ collato cum statu subjectionis. Homo à Deo per naturam destinatur societati, & propterea tranqvillitati, & ut obtineret hunc finem instructus est naturali jure, qvod accuratè perficit ad amicitiam illam. Sed malitia nativa rapit in diversum plerosq; , & affectum, qvo nos tantum diligimus. Hæc pestis armat in socios socium, rotunda qvadratis miscet. & omnia turbat. Liberius hoc malum invadit, ubi nullus Superior ex hominibus, & omnibus licentia sentiendi relicta, & qvod majus est in sua causa judex constituitur qvilibet, qvi modus jus dicendi hodie inter Resp : observatur, qvantis cum turbis & damnis & qvà justitià meum non est exponere. Qvi status facilè poterat humanioribus suggerere non esse subsistendum, sed Deum T. O. M. voluisse, ut ad beatiorem statum transirent, in qvo remedium contra merum amorem sui & odium proximi pro captu humanæ conditionis, & ne affectibus subjicerentur malis socii. Hác mente coaluerunt,

& arbitrium verum summum commissum uni vel paucis vel omnibus, prout ingenia coëuntium admittebat: ut, ne agam de omni utilitate, tertius esset, ad qvem negotium non spectabat, qvi sine affectûs malitiâ unicuiq; suũ jus tribueret. Ne verò esset Jupiter sine fulmine, potestatem redigendi in ordinem nactus est. Qvo sine defraudantur in civitate existentes, ubi Magistratus turget affectibus, & recidunt ad malum, qvod adeò aversabantur in statu naturæ. In homine naturæ Scrutatores observant, qvod cum brutis commune censetur, & qvandam animæ hominis potestatem sensitivam statuunt, qvæ effundit affectus *H. Grot: de J. B. & P. l. 2. C. 20. §. V. Dolorem pœnâ mitigari &c: congruit, qvidem naturæ, qvam homo cum bestiis habet communem: esse enim ira ut in bestiis ita in homine fervor sangvinis circa cor, ob appetitum reponendi doloris, qvi appetitus adeo per se caret ratione, ut sæpe feratur in ea, qvæ non læserunt &c:* Qvi itaq; seqvitur affectuum impetum, ineptus sine dubio ad regendos alios, & transit ad statum in qvo nulla societas: qvà sensitivam animam homo non est, socialis, sed in eo statu, in qvo proprium qværitur bonum. Brutorum enim appetitus omnis eo redit, ut se & sua diligant. *Hug. de Roy de eo qvod justum. l. 1. t. 2. §. 2. & 3.* ubi exinde elicit specialiora: defendere vitam, tueri corpus &c. Magistratus verus præsupponit animal sociale, qvod habet amorem sui temperatum amore socii. In Rep: Romana olim dubitatum est, utrum cœcus Magistratum gerere possit: & ad novum Magistratum adspirare prohiberi responsum est. *L. 1. §. 5. ff. de postul:* multò magis arcendus erit, qvi nihil humani edit

§. XII. Menelaus apud Lucianum diu confabulatus cum Proteo, qvi poterat se mutare in Leonem, arborem, aqvam, ignem, addit: *ἰδὼν ἴδον ἀλλ' ὁ τὸ πρᾶγμα τεράςιον, τὸ πῦρ καὶ ὕδωρ γίγνεσθαι*: videns vidi, sed tamen res ipsa monstro similis est, eundem videlicet ignem & aqvam fieri. Pro monstro qvoq; est Magistratum modo excandescere, modo precibus calamitosorum illacrymare, resolvi in flammas & mox in lachrymas. Uterq; motus vituperandus. Ethici solent illam Iracundiæ speciem nominare excandescentiam, qvà citius qvam par est irascimur, subitòq; placamur. Qvod vitium nonnulli Ethicorum animis generosioribus tribuunt. *Itter lib. 3. c. 6. in eud. § 4.* Sed Aut abutuntur termino aut rectè refutantur à Seneca *l. 1. de Ir. Ne illud*

quidem

qvidem Judicandum est aliqvid iram ad magnitudinem animi confer- re. Non est enim illa magnitudo, tumor est: nec corporibus copia vitiosi humoris incensis in morbo incrementum est, sed pestilens abundantia &c. Tantum abest à magnitudine animi ira, qvantum à fortitudine audacia, fiducia insolentia, ab austeritate tristitia, à severitate crudelitas &c. ut ex ulcerata & ægra corpora ad ictus levissimos gemunt; ita muliebre maximè & puerile vitium est. At incidit & inviros: nam viris qvoq; puerilia ac muliebria ingenia sunt. Neq; adeò facit, pro iracundia voluntatem versari circa duplex objectum bonum & malum id appetendo hoc aversando; diversissima enim sunt aversari malum, & excandescere adversus eos, qvos malos putamus: Illud peragendum juxta rectam rationem, hoc nihil recti fovet non enim indulgendum affectibus, ut desiderium affectuum impleamus: sed dirigendi sunt à sana ratione ad societatis humanæ salutem. Neminem fallere potest perfectionem primævam in homine subordinasse affectus voluntati, voluntatem Intellectui perfectè instructo voluntatis superioris cognitione Qvod naturale vinculum ruptum hominisq; officium est conciliare inter se, qvantum possibile, rebelles facultates. Auget excandescentiæ turpitudinem, irasci eo malo affectum antemalitiæ certam notitiam, eo momento, qvo vacat cognitioni & putat esse malos *L. cit. 19.* nihil enim constantis & recti in ejus modi judice est: Constantia notat firmitudinem animo insitam non ab opinione sed à judicio & rectâ ratione *Lips. libr. 1. de Constant. cap. IV. & cap. V.* opinionis indolem exponit ita : opinio non aliud qvàm rationis vana imago & umbra. Cujus vera sedes, sensus: origo, terra. Ideoq; abjecta & vilis, non erigitur, non attollitur, nec altum aliqvid aut æthereum spectat. Vana eadem, incerta, fallax, malè consulens, malè judicans, constantiâ inprimis animum spolians, & veritate. Hoc cupit hodiè, cras spernit: hoc probat, hoc damnat: nihil judicio, sed corpori sensibusq; gratificans omnia & indulgens. Atq; ut oculus, qvi per nebulam aut aqvam inspicit, res metitur falso modo: sic animus, qvi per opinionis nubem. Hæc homini si consideras malorum mater: hæc auctor in nobis confusæ & perturbatæ vitæ. Qvod curæ nos exerceant ab hâc est: qvod affectus distrahant, ab hâc: qvod vitia nobis imperent, ab istâ: Itaq; ut ii qvi Tyranni-

 dem:

dem ſublatam è civitate volunt, tollunt ante omnia, evertuntq; arcem: ſic nobis, ſi ſeriò ad bonam mentem pergimus, dejiciendum caſtellum hoc opinionum. Fluctuabimur enim cum iis ſemper: ſuſpenſi, qveruli, turbidi non Deo non hominibus ſatis æqvi. Ut navis vacua & inanis circum agitur in mari omni vento: ſic in nobis vaga illa mens, qvam pondus & tanqvam ſaburra rationis non ſtabilivit.

§. XIII. Qvid boni ſperandum ſit de furente, patet. Jus debebat reddere, qvod extradubium eſt jus applicare negotiis obvenientibus. Applicaturo jus qvid neceſſarium ex *L. 52. §. 2. ff. ad L.* Aqvil: colligi poteſt, in cauſa jus eſſe poſitum ibi aſſeritur *Cubach. in libr: Brocardic: cap: IV.* cauſa JCtis, ait, idem eſt qvod negotium, contractus, obligatio. *L. obligari. 9. §. 2. ff. de auct: tutor: princ. de Aut: tut: L. 9. pr: ff. de reb: cred:* Facti igitur ſpecies ad qvem eſt jus applicandum, diligenter ſecundum omnes circumſtantia conſideranda. *Struv. S. J. C. Ex. II. §. 45.* qvod ex re conſtituere dicitur in *L. 1. §. 3. ff. ad L. Corn: de Sicar:* minima enim circumſtantias jus variare ſolet, & circumſtantiæ ſpecificant factum. Conf; *L. 15. ff. de pœn:* Accurata inde cognitione opus eſt, qvi vult jus applicare, neq; fruſtra Jprudentia, qvæ non tantum efficit habilem ad reſpondendum de jure, ſed etiam ad Magiſtratum. *Struv: Ex: 1. §. 38. S. J. C.* deſcribitur qvod ſit ars æqvi & boni. *L. 1. pr: ff. de J. & J.* bonos enim reddit. & docet æqvum ab iniqvo ſeparare, licitum ab illicito diſcernere. *L. 1. §. 1. ff. eod:* æqvitatis maximè eſt applicare Leges, ut utriusq; Superioris voluntas innoteſcat & obtineat. Judex qvi generale jus captatis verbis & juxta τὸ ῥητὸν omnibus caſibus ſingularibus, non attentâ LLtoris mente, & nullâ circumſtantiarum habitâ ratione applicare velit, procul dubio fiet injuſtiſſimus. *Wiſſ: Ex: ad ff. 11. §. 9.* Hujus modi prudentiam eripit vel imperitia, vel affectus, vel dolus. *L. 11. §. 2. ff. de pœn:* Delinqvitur aut propoſito aut impetu, aut caſu. Imperitia culpæ annumeratur. *§. 7. J. de L. Aql:* peritiam qvi præ ſe fert & profitetur, officii nomine vel profeſſionis ſpecie nocet: De qvo accuratiſſimè agitur in *Dicaſt: concl: 1.* Affectu verò perturbatus & maximè excandeſcentiâ in cognoſcendo contemptor circumſtantiarum, condemnat ante examen, ſenſibus blanditur affectuum mancipium. Hæc verò cui expendenda, æſtimandaq; ſunt; videa qvam debeat omni perturbatione liber accedere ad rem ſummâ diligentiâ

gentiâ

gentiâ tractandam, potestatem vitæ necisq;. Malè irato ferrum committitur. *Sen. libr. 1. de Ir.*

§. XIV. Nec minus nocet, qvi precibus calamitosorum illacrymat: Constantia decet Magistratum: mollities est misereri intempestivè. Hactenus Callistratus improbavit iracundiam Magistratus: culpat deindè lentitudinem alterum vitium mansuetudini oppositum, & ab Aristotelicis describitur qvod sit *vitium, per qvod neqvidem ad justam & necessariam iram patimur nos commoveri. Golius in doctr: moral: ex libr. Ethic. Arist: ad Nicom: lib. 4. c. 5.* Turpè sane est æqvo animo omnes ferre injurias contra dignitatem hominis est, qvem Deus & socialem & inviolabilem reddidit: Ideo omnia ad Defensionem necessaria indidit. Armavit contra hominem amore proximi naturali jure injuncto unicuiq;, qvem cum divino arctissimè copulavit. Ac si hoc non sufficeret: impetum naturalem arcendi hostem concessit. Hæc sane frustra essent indita, si ferociæ cujuslibet esset infestus homo. Non tuetur lenis suam præstantiam, honores, vitam naturalem, moralem, bonaq; alia externa, ac deest officio suo. Maritus lenis contra ordinem divinum subest maritæ imperio, pater indulget liberis, dominus frena laxat servo. Qvæ ratio omnem turbat ordinem. Tragœdias excitat stupendas. Nil dicam de turbis, qvas movet in civitatibus lentitudo, ubi Majestas non stringit gladium ultorem contra malos. Pleriq; sociorum officia non præstant suâ sponte, itaq; adigantur necesse est irâ justa. *Congruit qvod bono & gravi præsidi curare, ut pacata & qvieta provincia sit, qvam regit: qvod non difficile obtinebit si sollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq; conqvirat: nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conqvirere debet: & prout qvisq; deliqverit, in eum animadvertere, receptoresq; eorum coercere, sine qvibus latro diutius latere non potest. L. 13. pr. π. de Off. Præsid.* Hujus modi officium Magistratus negligitur ab eo, qvi misericordiæ vacat, qvæ species videtur esse lentitudinis. Clementia mansuetudo est Superioris adversus Inferiorem in constituendis pœnis. *Senec. lib. 2. de clementia:* eidem sicuti & severitati adversatur crudelitas, & misericordia. Speciem qvidem severitatis assumit crudelitas, & clementiæ faciem misericordia mentitur. Est v. vitium ex mente Stoicorum, pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis. Itaq; pessimo cuiq; familiarissima.

ma. Anus & mulierculæ sunt qvæ lacrymis nocentissimorum moveantur, qvæ si liceret, carcerem effringerent. Misericordia non causam, sed fortunam spectat, clementia rationi accedit. *Senec. cit. loc.* Qvæ admodum exponunt mentem JCti nostri in *L. 19. cit. neq; precibus calamitosorum illacrymari oportet.* Calamitosos Seneca vocat nocentes; inde *Cic. Epist. 131.* aliqvis magis fortunâ qvàm culpâ calamitosus. Mens erat JCti duo vitia *in* §. 1. *L. 19. cit* improbare orta ex abusu iræ, qvâ Magistratus utitur officii executor. Indulget sine ratione nimis excandescens, & nimis remittit, qvi lenitudini operam dat: illud imprudenter incitat in eos, qvorum malitia nondum cognita, & mali sunt excandescenti judici: hoc facit, ut amplectatur Magistratus malos, qvos innocentes putat sine prudentiâ. Misericordia est ægritudo animi ob alienarum miseriarum speciem: aut tristitia ex alienis malis concepta, qvæ accidere immerentibus credit *Senec. c. l.* Damnosa malitia à privatis adhibita, & meritò coercetur L. Aqvilia §. *ult: ff de L. Aqvil.* ubi qvis misericordiâ ductus alienum servum compeditum solverit, ut fugeret. Multò magis publicæ personæ misericordiâ captæ damnâ dant Reip., & à malis fictâ simulatione decipiuntur, ut neq; inqvirant facti speciem, neq; Legum rigorem stringant, sed cerebrinâ æqvitate utantur. *Schnobel. ad π. disp. 1. §. 24.* Igitur rectè additur in *L. 19. c. id enim non est constantis & recti judicis.* Nihil æq; hominem, qvam magnus animus decet: non potest autem magnus esse animus, si metus & mœror confundit, si mentem obducit, & contrahit &c. Tristitia enim inhabilis est ad dispiciendas res, utilia excogitanda, periculosa vitanda, æqva æstimanda &c. Imbecilles esse oculos scias, qvi ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur: tàm mehercule, qvàm morbum esse non hilaritatem semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem ipsum qvoq; os diducere. *Senec. c. l.* Alienum esse judicat Callistratus. In *L. c. 19.* à persona jus reddentis, vultu detegere animi motum, f. affectum. Hoc Sapienti ne in suis qvidem accidet calamitatibus, sed omnem fortunæ iram reverberabit, & ante se franget, eandem semper faciem servabit, placidam & inconcussam &c.

§. XV Ne JCtus censeatur, seqvi Stoicos inhumanos reddentes, uti videtur, contra errantes: sciendum presupposito ex precedentibus,

bus, misericordiam, ut intelligitur à Stoicis, esse merum vitium, nam imprudenter agitur fer [illegible] illam neglectâ veri cognitione & sine auxilio laboranti suppeditato: ex lacrymis enim & gemitibus non oritur levamentū doloris. Sapiens verò juxta ejusdem Scholæ doctrinam succurrit alienis lacrymis, non accedet: Dabit manum naufragis, exuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam, qva pars major horum, qvi se misericordes videri volunt, abjicit & fastidit qvos ad juvat, contingiq; ab his timet: sed ut homo homini, ex communi dabit. Donabit lacrymis maternis filium, & catenas solvi jubebit, & ludo eximet, & cadaver etiam noxium sepeliet. At faciet ista tranqvilla mente, vultu suo. *Senec. c. l.* A qvâ sententia non re sed verbis recedit *Lips: de Constant: cap. XII.* distingvens inter misericordiam & miserationem: Illam probat & describit inclinationem animi ad alienam inopiam, aut luctum sublevandum: Hanc improbat & ex ponit: est vitium pusilli minutiq; animi, ad speciem alieni mali collabentis: qvod accuratè ab antiqvis ejus modi Philosophis in jungitur. Nulla Secta benignior leniorq; est, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior: ut propositum sit usui esse aut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisq; consulere. *Senec. c. l.* Qvæ sapientia procul. intuentibus severa & tetrica apparet, cum propius successeris, lenis, clemens reperitur, & qvâ non mitior aut amicior ipsa Amorum Dea. *Lips. c. l.*

§. XVI. Humanitas tandem *L. 19. pr. cit.* reqviritur in Magistratu: *Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem præbeat.* Eò tendit admonitio JCti nostri, ut autoritatem servet Magistratus: eam & parat & firmat comitas. Mansvetudo justitiæ maxime succurit, & efficit ut dextrè applicetur: neq; sufficit metu continere. Justitia sane reverentiam tribuit: amorem verò & benevolentiam comitas parit: dignus habetur ut ametur, qvi ipse videbitur amare & suspicionem affectuum adimit. Comitatis verò est adeuntibus patere, audire preces benignè & paratum auxilium, præbere. charitatis enim signum minus fallax est, expedire consilium & subsidium. Putant non pauci existimationem Magistratus cumprimis in eo sitam, si raro pateat adeuntibus, & tristem gravitatem ac supercilium potiùs qvàm humanitatis gloriam affectet, inde reverentiam

nasci;sed perniciosè errant: morositas est vitium admodùm inhumanum & qvod adeò excœcat ut societatis contemptor sibi gratus sit, sibi utilis, suarum qvalitatum admirator. Ex nimio amore sui & contemptu odioq; aliorum oritur. Qvi affectus remotus à sociali animo, qvo instructus sit Magistratus custos socialis vitæ, ad qvam Leges tendunt. Qvare qui consortia hominum vitant nec facilè patent adeuntibus, qvia fastu & superbiâ, qvâ despiciunt alios, facere videntur, non tam autoritatem & reverentiam qvam fastidium sui ac odium incurrunt. Sejanus eo nomine infamatur ap: *Tacitum. libr: 4. A. 74. 5. eo venire patres, eqves, magna pars plebis, anxii erga Sejanum, cujus durior congressus atq; eo per ambitum & societate consiliorum parabatur. Forstner: ad Libr: A. XI. cap. 21.* Inter regulas præsidibus provinc: præscriptas refert: *Facilem ad se aditum præbeat: pateant aures ejus querelis omnium: nullius inopia ac solitudo non modo nullo populari accessu ac tribunali, sed ne domo qvidem & cubiculo excludatur. &c: Tristitiam & arrogantiam exuat ista attemperatis moribus, ut nec facilitas autoritatem nec severitas amorem deminuat. Acerbi, injucundi, minaces, cruces & patibula perpetuo crepantes &c.* Egregieq; morositatem Magistratus carpit Trajan: *Boccalin: cent: 1. Relat. 41.* Temperat tamen JCtus noster facilitatem: *sed contemni non patiatur: unde mandatis adjicitur: Ne præsides provinciarum in ulteriorem familiaritatem admittant provinciales: nam ex conversatione æqvali contemptio dignitatis nascitur.* Nimiam familiaritatem parere contemptum, sapiens antiqvitas diu notavit; prima conversatio reverentiâ & cultu consumitur mutuo, qvæ seqvitur remittit, tertia plerumq; ad fiduciam nimiam invitat. Vulpem olim nunqvam antea visi Leonis primus aspectus metu fermè exanimavit, secundus terruit, tertius ad colloqvium admisit. Desumenda ratio ex ingenio humano, cui qvotidiana vilescunt, rarò in pretio sunt. Accedit neminem sine crimine vivere, qvod primus non manifestat intuitus, reliqva familiaritas prodit. Contemptum ne incurrat præses Mandatis monetur. Erant mandata literæ qvibus Principes certis qvibusdam judicibus vel Magistratibus aliqvid in speciali negotio agendum mandant, aut eis formam administrandæ Reip: præscribunt. *Perez. in Cod: ad tit: de mandat: 1.* ubi Eyben exponit bestallunge. Redit ad Principem

dam-

dimnum ex contemptu vicsriorum, & male continentur ab eo, qvem negligunt subditi. Qvod malum omni prudentia solebant Romani arcere à Magistratibus vestigia videmus in. *L. 9. §. 2. ff. de Offic: procons: Circa Advocatos patientem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis habeatur.* Non impunè fert, qvi album prætoris perpetuæ Jdictionis causa propositum dolo malo corrupit sed datur contra eum 500. aureorum judicium, qvod populare est. *L. 7. ff. de Jdus:* Ne nulla sit Jdictio Magistratus conceditur modica cöercitio per *L. 5. §. 1 ff de Offic ej:* Ut autoritas majorum Magistratum sit sarta tecta, neqveunt injuriarum conveniri qvamdiu tales sunt. *L. 32. ff. de Injur:*

§. XVII. Hactenus mala exposita sunt, contra qvæ non denegand justa defensio in Rep: & revoco supratraditam cautionem de Magistratu inferiori me disputare: altioris indaginis est differere de Superiore & independente, & qvâ ratione ejus iniqvitas à Subdito excipienda: certum est, excipio inhonesta & turpia, in fastigio hoc summo sedentes non justè facere qvandoq; qvæ tamen justè patiuntur subditi qvos *Tacitus l. 4. Hist: c. 8.* instruere potest: *bonos Imperatores voto expetere qvalescunq; tolerare.* & *L. 4. c. 74. Laudatorum principum usus ex æqro, qvamvis procul agentibus: sævi proximis ingruunt. Qvomodo sterilitatem, aut nimios imbres & cætera natura mala: Ita luxum & avaritiam dominantium tolerate.* Læduntur verò à Magistratu variis modis pro diversitate affectuũ, qvibus agitantur, ex nostra L. 19. vel excandescentiâ, vel morositate, vel lentitudine, & modo vita civis, modo existimatio, modo alia bona externa violantur.

§. XVIII. Personat ubiq; *adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere L. 4. pr. ff. ad L. Aqvil:* qvod principium in est sensitivæ facultati, qvâ nos diligimus: Ex eo enim fluit impetus se defendendi & sua. *Hug. de Roy de eo qvo justum. lib. 1. tit. 2 § 3.* In homine verò secundum Legem naturalem exercetur. Modus defendendi variat pro varietate status & læsionis. Extra civitatem violentiâ privatâ repellitur injuria, non sine metu ne indulgeant sibi: In Resp: perfectius sine affectu (si jus spectes, & qvod non timetur, qvia tertius decidit, ad qvem non pertinet negotium inter alios) defenduntur læsi & sine tumultu. Cui enim commissum summum arbi-

trium,

trium, præter normam innatam præscribit accuratius, qvod jus cuiq; tribuendum ad qvem confugiunt & petunt Legibus datum remedium contra turbatores: ad qvos qvia accedunt Magistratus inferiores, non rarò & turpius peccant adeò omittentes officium, jure meritoq; auferunt pretium injustitiæ.

XIX Magistratibus Romanis solebant concedere merum Imperium speciali Lege. *L. 1 π. de Offic:* ej. qvod præviam habet cognitionem: si igitur Magistratus in cognoscendo crimine excandesceret adeò ut vitæ periculum innocenti immineret, qvis modus defendendi concedi posset? Magistratus sanè ejusmodi abutitur ira eiq; indulget, & satisfacere audet sine utilitate societatis. Neq; publicam personam tuetur, qvâ pollet potestate coërcendi. Nemo hominū potest subjicere alterius licentiæ vitam, ut possit alter pro lubitu & sine causâ legitimâ tantum propterea, qvia lubet, interficere: qvod non habet, alteri dare neqvit. Deo sub est hominis vita, jure creationis, & nemini hominum absolutum arbitrium concessum in hominum vitam. Igitur neq; Magistratui competit, & privato molimine audet cædere ut adeò qvidam contra eam violentiam arment subditum, & omnem rationem expediendæ salutis concedant. *uti Clarus Sent: L. 1 §. fin: pr: Crim: qv. 29. vers: sed hic incidenter:* qvi distingvit: aut judex procedit tanqvam judex & nullo modo debet ei resisti, nisi vellet inferre aliqvod præjudicium irreparabile aut procedit eo modo, qvo solêt procedere privati, & an tunc impune licet ei resistere Id caret dubio, judice falso processu opprimente innocentes, obtinere, ubicunq; supperit remedium juris cessare debet via facti, *Roman Consil: 71. n. 6.* & *qvi communi auxilio munitus est, ei non debet tribui extraordinarium auxilium. per L. 16. pr: ff. de minor: Neq; singulis est concedendum, qvod per Magistratum publicè possit fieri; ne occasio sit majoris tumultus faciendi. L. 176 pr: ff. de R. J.* Sin verò ipse manum adhiberet: magis convenit cum Scriptura Sacra non licere resistere. Rom: 13. 1. 2. 3. ubi injungitur obedientia & patientia & ex 1. Petr: 2. 18 argumentum desumendum: non tantum bonis & æqvis obediendum, d. & σκολιοῖς: hoc enim gratum est, si qvis propter conscientiam Dei sustinet tristitias patiens injustè.

§. XX. Sit qvi irâ incitatus sententiam feralem ferat more malorum

lorum judicum in historia Susannæ, non deferendus est in hisce angustiis in bene constituta Rep: In Rep. Romana aut cognita causâ, aut non, sententia capitalis lata: si illa præfectum. prætorio adire debet condemnatus *ut is qvicqvid novo more & contra formam constitutionum gestum deprehenderit, pro sua justitia reformet. L. 6. C. de accusat:* inhumanum n. est inauditâ causâ condemnare: Romana consvetudo non est dare occidendum hominem priusqvam is qvi accusatur in conspectu habeat accusatores & locum defensionis accipiat super criminatione. Actor. 25. 16. Qvod confirmatur Divi Severi & Antonini Magni Rescripto: neqvis absens, puniatur, & hoc jure utimur, ne absentes damnentur: neq; n. inaudita causa qvemqvam damnari æqvitatis ratio patitur. *L. 1. π. de requir. vel abs. damn.* Imo qvia Deus Protoplastos noluit inauditos condemnare multò minus homo judex, qvem fallere possunt variæ facti circumstantiæ, qvæ vel in totùm, vel ex parte excusare possunt reum. Ejus modi ergo sententia est nulla, & habet Reus defensorè superiorem judicem, qvi potest in causa principali procedere, neq; ex re esset remittere ad judicem irritatum nullitatis remedio de qva nullitatis specie ex defectu citationis plenissime *Vant. de nullit. process. p. 388. cap. XII. add. Clar: Sent: lib. V. §. fin. Qv: 31.* Ubi reus non citatus fuisset &c. processus & sententia & omnia qvæ seqvuntur sunt ipso jure nulla, & extendit ad Principem per clem: pastoralis de re jud. jung: qv: 50. Imo ei qvi injustè auditâ causâ condemnatus est, ad supplicium ducitur, permittitur provocare. *L. 6. ff. de app:* imo alii s. extraneo s. necessario, licet acqviescat sententiæ & resistat adversus provocationem Reus. Qvod addictis supplicio in causa criminali humanitatis consideratione, non negatur, ut ibi diligentius examinetur, ubi contra hominis salutem per errorem, vel gratiam cognitoris (imo per iracundiam) oppressa putatur esse justitia. *L. 29. C de appell:* Cautiones & exceptiones tradunt *Clarus. L. 5. sent: §. fin: pr: Crim: Qv: 94. Perez. ad C. de app: n. 18.* interq; eas referunt si qvis legitime convictus & propriâ voce & sponte confessus fuit: nam si formidine tormentorum territus, contra se aliqvid dixerit provocandi licentia ei non denegatur. *L. 2. C. qvor: app: non recip:* Sunt enim qvidam tantâ impatientiâ, ut mentiri qvàm pati tormenta velint, ita fit, ut non tantum se verum etiam alios

 crimi-

criminentur. *L. 1. §. 23. ff. de quæst.* Quæ tormenta, quia temerè à quibusdam adhibentur, nata est quæstio: quâ pœnâ dignus Magistratus injustè adhibens torturam. Quidam capitis pœnam dictitant, & communem opinionem autumant. Sed *Clarus in pr: Crim: libr. 5. §. fin: vs. antequam.* testatur, non servari hanc opinionem in Practica, potius distingvit, aut seqvitur hanc torturam mors Rei, & asserit qvod forte posset hoc casu servari communis opinio: ipse distingvit aut propter inimicitias aut pecuniâ vel aliter corruptus torsit, ut periret Reus, & obtinet ordinaria pœna homicidii. *L. 4. ff. ad L. Corn: de sicar:* aut non ex eo affectu, & non putat obtinere. In qvo ultimo casu *Zanger. de qu: s. fratt Reor: c. 1. in proœm. n. 43.* incurrere ait Magistratum pœnam eorum, qvi litem suam faciunt. Communis sententia Dd: est, ut nempè propter injustam torturam ex imperitiâ & culpâ illatam judex non nisi extraordinariè & arbitrariè puniri debeat. *Carpz: pr: Crim: pt. 3. Qu: 127. n. 42.* qvæ sententia *Ord: Crim: Car: V. art. 61.* confirmatur *vs.* wo aber solche. Qvæ qvæstio solide proponitur à Magnifico Præs: in *Dic. concl. 30.* Delinqvit qvodq; graviter qvi Magistratus calore inductus, interfecit vel innocentem, vel qvem punire non debuerat. Inde prout vel dolo, vel culpâ vel imperitiâ interfecit, vel capite plectabatur, vel in insulam deportabatur *L. 7. §. 3. ff. de L. Jul. repet. Clar. in pr. Crim: L. 5. §. homicidium vs. Item Judex p. m. 341. Carpz p. 3. pr. Crimin Qu. 127. n 6* Ubi deportationis pœnam ad culpam restringit. Item huc pertinet qvi iratus dedit operam ut accusatus aliqvid falsò confiteretur per qvod innocens postea damnaretur. *L. 1. pr. ff. ad L. Corn. de sicar. Clar. c. l.* Appellatio isv remedium utrum hodiè obtineat in Criminalibus qværitur? *Clarus in. pr. cr. §. fin. Qu. 94.* de qvarundam regionum statutis testatur qvod sit abrogatum *vs. Cæterum in hoc Duc: Rec. Imper: de anno 1530. Car: V. vs. Item als jetz.* So setzen und ordnen wir / daß hinfürter in Peinlichen Sachen keine Appellation angenommen / sondern damit nach alten hergebrachten gebrauch gehalten werden soll. Qvod jus inveteratâ per Germaniam consuetudine receptum est, *teste Mynsing: obs. 4. Cent. 41. Gail. de pac. publ. lib. 1. c. 20. n. 35. Carpz. in pr. Cr pt. 3. Qu. 30 n 31* Distingvit inter processum criminalem ordinarium & Inqvisitionis. In illo admittit & appellationem & Leuterationem: gene-

generalem Germaniæ consuetudinem restringit ad hunc inqvisitionis processum. Neq; injusta est illa consuetudo : neqvaqvam n. adimit defensionem, d. admittit defensionem in speciè sic dictam, qvæ *est deductio innocentia, ex parte Rei, ne vel iniqvum qvid statuatur adversus eum, vel si statutum jam fuerit, ne executioni mandetur. Magn. De pses in Dic. concl. 31. §. 1.* Ubi §. 3. ratio datur, qvod non detur appellatio in processu inqvisitionis : *cum nemo sit qvi appellati personam sustinere, & appellanti contradicere velit.*

§. XXI. Si præterea qvis fiduciâ potestatis publicæ iracundiâ motus alias pœnas decerneret carceris, relegationis, deportationis &c; neq; olim neq; hodiè sine defensione relinqvitur. *Vid. L. 6. C. de accus.* (ubi Avidianus à qvodam apud præsidem provinciæ accusatus erat, qvi cognitis probationibus accusatoris irrogaverat Avidiano non audito pœnam metalli. Gordianus v. consultus à damnato defensorem & correctorem sententiæ dat prefectum prætor:) qvæ remedia juris omnia non est locus recensendi. Qvod attinet relegationis & carceris injuriam : injuriarum actione potest vindicari iniqvitas Magistratus, cui lubuit indulgere affectibus, & sub speciè Officii ac justitiæ imponere publicam pœnam *per L. 32 ff. de injur.* nam definitam potestatem habet, & excedens non aliter ut privatus, i. e. sine potestate, ferendi sententiam sibi sumit jus *per. cit. L. 32. Vb. qvasi privat* : Relegationis sanè effectus sunt graves : licet n. relegatus & civitatem & libertatem salvam retineat. *L. relegatus 18. ff de incerd. & releg. §. 2. J. qvib. mod. jus pot.* minuitur tamen existimatio *L. 5. §. 2. π. de extraord. cognit.* & abesse jubetur hâc formulâ : *illum provinciâ illâ insulisq; eis relego. excederesq; debebit intra illum diem. L. 7. §. 17. L. 5. L. 7. pr. §. 1 ff. de interdict: & releg.* & certo loco includebatur, & excedens gravius punitur. *L. 4. ff. de pœn.* Qvæ hodiè relegatio contingit versus est inter dictio, vel lata fuga: est n. interdicere, si qvis certo loco abesse jubetur, vel certo loco excluditur. *D. Strauch. de centum lap. §. 13. n. 2. seqq.* Qvod jus exterminandi Academiis competere ex singulari concessione sine territorio asserit *Heig. pt. 2. Qv. 11. π. 19. Richt. ad Auth. C. Ne fil. pro patr. disp VI.* Olim in Rep. Romanâ carcer ad continendos homines non ad puniendos debebet haberi *L. 8. §. 9. π. de pen. add. L. 1. C. de cust. reor.*

&

& cavebant Romani tamen ut judicibus immodicè sævientibus freni temperies adhiberetur præmissâ cognitione & ante incarcerationem & post eam accuratiori *L. 2. C. de cust. reor.* & ne sævirent pœnâ carceris. Constantius *L. 1. C. eod.* liberavit ferreis manicis, & si criminis qvalitas catenarum acerbitatem postularet proliziores catenas imponi voluit ut desit cruciatio. Nec voluit ut sedis intimæ tenebras inclusus pareretur, sed usurpata luce vegetaretur, & ubi nox geminaverit custodiam in vestibulis carcerum & salubribus locis reciperetur ac revertente iterum die ad primum solis ortum illicò ad lumen educaretur, ne pœnis carceris peri meretur: qvod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse dignoscitur. Ubi simul sævitiæ carceris vindicatio injungitur judici, metu severissimæ pœnæ, qvâ existimationi & reliqvis bonis generaliter minatur Imperator sc: substantiæ, corporis vitæ pro gravitate delicti. Multi magis hodiè incarceratio prudenter fiat, qvia est carcer sepultura vivorum, consummatio bonorum, consolatio Inimicorum, & experientia amicorum. *Conf. Carpz. in pr. Crim. pt. 3 Qv. 111 n. 2. Ordinat. Crim. Carol. V. art. 11. Conf.* Verordnung *August. Elect. Sax.* beyd: universitaten cap. von der disciplin: vs. jedoch soll das Carcer also gebraucht werden / daß der straffbahren Persohn Gesundheit in acht genommen / und denselben hierdurch an seiner Leibes Gesundheit kein Schade zugefügt werde. Ex: L. 32. collegi actionem injur: dari propter injustam incarcerationem, præsupposito verò animo injurioso iracundiâ turbatû incarcerasse; si verò per imprudentiam carceris pœnâ affecerit Magistratus, tenetur in Syndicatu. *Carpz: c. l. n. 69. 70. Conf: L. 15. §. 1. ff. de judic: Dolo malo videtur hoc facere si evidens arguatur ejus vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes: ut veram æstimationem litis præstare cogatur. Frantzk. Exerc: Jurid: XII. Qv: X*

XX. Preterea notandum præsumptionem justitiæ non inanem oriri ex inimicitiâ Magistratus: ira enim semel concepta, datâ occasione, insurgit graviter juxta malam inclinationem naturalem hominis qvam pleriq; seqvuntur: Ex hac causâ tutores vel curatores inimici dati, nisi se excusent, removentur inviti. *L. 3. §. si tutor. 12. ff. de excus:* Sanè inimicum meum mihi benè cupere violentæ

lenta præsumptio est; magis naturalis est ea, qvæ ab inimico pessima qvæq; expectanda dictitat. Magnif. Dn. Præses *in Dic. concl. 13. §. 35.* Inimicus igitur Magistratus potest exceptione suspecti coerceri *per. c. L. 9.* sine suspicione enim omnes lites procedere debent, & licet ei, qvi suspectum judicem putat anteqvam lis inchoetur eum recusare, *L. 16. C. de Judic.* ab inimico enim omne malum est exspectandum, & tutius est præcavere, qvàm post vulneratam causam remedium qværere. Grave admodum est sub judice suspecto litigare, magno non solum dispendio temporis ac sumptuum sed etiam periculo ipsius causæ *Carpz. pr. Crim. pt. 3. Qv. 104. n. 45.* Nec tantum in causis civilibus sed & criminalibus judex potest tanqvam suspectus recusari: si enim in causis civilibus, in qvibus solummodò agitur de re pecuniaria admittitur recusatio judicis suspecti: multò magis admittenda est in criminalibus, ubi agitur de vita. *Clarus in pr. Crim. lib. 5. §. fin. qv. 43. in pr.* Communiter capitalem inimicitiam exigunt ad removendum judicem tanqvàm suspectum: qvod non necesse putat. *Magnif. D. Ziegler. c. l. §. 35. non necesse est ut inimicitia sit capitalis: cum m. ex leviore qvâdam offensione Judicis animus corrumpi qveat, & unusqvisq; in vindictam ex naturali qvâdam pravitate facilè feratur.* Addatur coercitio excedentis Magistratus qvà mixtum imperium *ex L. 29. §. 7. ff. ad L. Aqviliam.*

§. XXIII. Non qvidem videtur lentitudo adeò noxia Reip. sed ut ex præmissis patet; non minus damnosa: ubiq; malitiæ occurrendum ne ira festinetur, neq; nimis differatur. Itaq; Constantius *L. 1 C. de cust. reor.* statim ait, qvæstio debet fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur. Ad bonum & gravem præsidem spectat curare, ut pacata & qvieta sit

provincia qvam regit,qvod nondifficile obtinebit si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat *L. 13. π. de Offic. præsid. Clarus Lib. V. §. f. pr. Crim. Qv. 60. §. Legetur etiam* proponit qvæstionem, utrum judex ratione amicitiæ, qvam habet cum reo, possit ei pœnam remittere. & in judice inferiore, ait, esse detestandum, & gravi pœnâ vindicandum, nisi pœna sit arbitraria. Mitigare enim pœnam manifestâ lege impositam non est Magistratus inferioris, sed audens facere extra limites officii vagatur, æqvitatem sibi constituit sine jure plane cerebrinam & capitosam. *Magn. D. Ziegl. in Dic. concl. 36. §. 38.* In arbitrariis pœnis arbitrium judicis habeat originem ex ipsis Legibus, neq; in privato inferioris Magistratus cerebro natum. *Heig. pt. 2. Qv. 22. §. 33. Magn. D. Præses c. l. §. 42.* distinguendum putat inter pœnam certis legibus constitutam, & non determinatam Legibus: dein inter pœnas publicorum judiciorum, qvæ imponendæ delicto affecto extraordinariis circumstantiis & ordinariis: & qvæ aliæ cautiones hic observandæ. Non v. liberrimum arbitrium judex impune fert: judicem v. nosse oportet, qvod gravi infamia sit notandus, si violentiæ crimen apud se probatum distulerit, seu omiserit, vel impunitate donaverit aut meliorem, qvàm præstituimus, pœnam protulerit. *L. 8. C. ad L. Jul. de vi publ.* Itera *L. 3. C. ne Sanct. bapt. iter.* Judicis lentitudo coercetur gravius: qvæ omnia ita custodire decernimus, ut nulli judicum liceat delatum ad se crimen minori aut nulli coercitioni mandare: nisi ipse idem pati velit; qvod daliis dissimulando concesserit. *Perez. in Cod: ib: Clarus pr. Cr. l. 5. § fin. Qv. 85. vs. ulterius qværo.* Inde Carolus 1. Rex Siciliæ suspendi judicem jussit qvi reum suspendio dignum ad manꝯ amputationem condemnaverat. *Heig. c. l. n. 38.*

XXIV.

XXIV. Morosus judex non raro denegat justitiam, gravissimumq; delictum patrat. Contra qvod nefas implorandus Superior Magistratus, & solent per modum simplicis qverelæ citationes in Camerâ Spir: decerni. *Gail: libr: 1. Obs. 28. n. 2.* Tria verò reqviruntur ut obtineat hoc remedium. 1. ut judicium coram inferiore Magistratu non sit cœptum: *principium verò omnium actionum instituendarũ ab ea Edicti parte proficiscitur, qvâ prætor indicit de in jus vocando. §. 3. J. de pœn: tem: litig: L. 1. C. de exec: rei jud:* 2. Ut Judici implorato subsit judex qvi denegat justitiam. 3. Ut justitia manifestè & expresse sit denegata. *Gail: cit: l Zanger: de Except: pt: 2. c. 1. n. 409. Magnif: D Ziegler: in Dic: concl: 23. §. 28.* Cœpto judicio & citatione facta, si postea judex in processu deneget justitiam, vel causam protrahat non per modum simplicis qverelæ sed appellationis causa transfertur ad Superiorem. Constitutione Valentiani *L. 6. C. Theod: de Idict:* litigatori, qvi non auditus est fastidio cognitoris, satisfit imminente pœnâ æstimatæ litis & deportatione. Nec Justinianus intactum reliqvit delictum hoc: Pro diversitate enim judicum modò decem librarum auri, modò trium librarum mulcta plectit *L. 13. §. 8. C. de judic:* Hæc determinata pœna an *Nov: 86. c. 1.* sit mutata, dubium videtur. *Magn: D. Ziegl. c. l. §. 26:* Ubi in qvo cunq; negotio interpellandus provinciæ judex: illo tergiversante, Episcopus loci implorandus, cujꝰ est vel adire præsidem, vel ad eum mittere: hujus monitione neglectâ cum literis Episcopi litigaturus, dimittitur ad Principem, qvi dignam infert pœnam. *Conf: Nov: 17. c. 3.* In casu v. qvo lis cœpta, communiter literæ promotoriales â Superiori ad negligentem impetrantur, cum temporis

&

&pœnæ determinatione *Gail: c. l. n. 7. Conf: Schneidewin: ad J. de obl: qui ex quasi del: n. 11. 12.* Eſſet ſpatium latisſimum evagandi ad alia: Neqvitia enim hæc ſerpit per pleraq; juris capita: ſed ſatis habeo delineaſſe uno & altero exemplo malitiam Magiſtratus & qvodam modo remedia auxiliante Deo cui

S. S. G.

